

NUMMUS VOTIVUS
HADRIANI VI. PONT. MAXIMI
IMAGINEM REFERENS: CUSUS POST ADE-
eptum Pontificatus honorem: Anno
Christi 1522.



N Leonis Pontificis locum, scribit lib. historiarum suarum 20. Paulus Jo-
vius, *suscepit Hadrianus Sextus: miranda & certe pudenda, si Italia
decus respiceretur, Senatorum factionum suffragatione: quam festi-
natis comitiis, hominem apud Batavos extremi Oceani natum, &
tum in Hispania agentem virtutis nomine, cunctis senatorij ordinis
prætulissent.* Est ita: parum est dignitate sedis Pontificiæ mul-
tis visum, cum Itali haberi possent, cis Alpes hominem accersiri: cum è no-
bilitate præcipui, textoris filium. Sed virtus Hadriani fecit, doctrinaque in-
signis, cum viræ integritate, morumque sanctitate singulari conjuncta, ut
Caroli V. Præceptor primo fieret, & Consiliarius: ut Academia Lovanien-
sis Cancellarius: ut in Hispania, absente Carolo, gubernator: ut Episcopus
Dertusensis: ut tandem Ecclesiæ Romanæ caput. Foedus fecit cum Carolo
V. Venetis, Ferdinando Archiduce Austriæ, & quibusdam civitatibus Ita-
liæ contra Franciscum Galliarum Regem: misit Franciscum Cheregatam
ad conventum Noribergensem cum certis mandatis contra Lutherum.
Magnoperè ei in votis erat, *ut sua opera, studio, consilioque finiretur, quam multis so-
licitè expetebant, quæque jam tentata ac capta à nonnullis fuerat, Ecclesiæ, Curiaque Ro-
manæ reformatio.* Sed antequam vix manum operi huic admoveret, non sine
veneni suspitione sublatum è medio fuit. Sedit non nisi anno 1. men-
sibus 8. diebus 6. Cardinalem unum creavit. Sepultus
ad S. Mariam de Anima. Germano-
rum Author.